Epitaphium
VIRO
Antiqvitate Generis & Virtutibus ſtupendis
conſpicuo

DNO. DANIELI WACHSCHLAGERO,

Scabino Palæopolitano
Ipſa ſolemnis funerationis die
Anno M. DC. XCIII.
Die XIV. Octobris
feſtinante manu & mœſta mente
erigere voluit
FRIDERICUS BARTSCH
Regiomontanus P. C.

THORUNII,
Imprimebat Johannes Balthaſar Bresler.

* * *

HEus Viator!
Hoc ſaxum Te rogat,
ut ſibi diſſimilis ſis & [illegible]eas
Vir
Innocentia notus
Juſtitia Clarus
Officiis promptus
Colloquio jucundus
Pietate decorus
DANIEL WACHSCHLAGERUS
antiqvo & nobili ſangvine
oriundus
Scabinus Palæopolitanus
Vigilans incorruptus, & verus æqnitatis
Antiſtes
ſub hoc ſaxo requieſcit molliter
Mors non claudit oculos, aperit,
& ſi vis videre mundi fumos,
veni ad cineres.
Invida ſors virum ſubito intercepit,
& rem bonam ſpemq; ſimul ſubhaſtavit.
Qui
Primoribus gratus, vulgo venerabilis,
omni-

omnibus charus erat,
nunc a[illegible]guſtis clauditur aſſeribus.
Civitati[illegible]dra ſine privatorum injuria
ſuſtinuit.
In[illegible]r politicas ambages
ſubitis ejus conſiliis maturius nihil prodiit.
Tam ingenti animo,
Tam illuſtri ingenio,
Tam prudenti judicio,
Res tractavit Patriæ œconomicas,
ut nunqvam vel fortunæ adverſitate,
vel negotiorum diverſitate fuerit obrutus.
Immortalis Vir!
Ideo tantum mori eſt viſus,
Ne humanarum legum vindex, Naturæ leges
infringeret.
Hinc moriturus animum habuit conſtantem,
tulitq; ſecum
Crebro dictitans:
DUC. ME. DOMINE. QVO. VIS.
ET. SI. DUXERIS.
QVO. NOLIM. SEQVAR. TAMEN.
O Chriſtianam philoſophiam!
Eheu! tantum ſidus non abſconderet terra!

Fa-

Factum bene.
Etiam Sol occidit.
Totus attamen non interiit Vir Magnus.
Vivit pars Wachſchlag[illegible]
in immortali æde
in memoria Senatus Amplisſimi.
in pectore Fratrum Nobilisſimorum.
in animo Civium.
in virtute liberorum
in voto Cognatorum & agnatorum.
Abi Viator!
Te qvoq; hoc decretum manet:
MORIERIS!
ſed ut beate moriaris,
qvotidie mori ne detrecta.

